



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora**

**Possevino, Giovanni Battista Bernardino**

**Coloniæ Agrippinæ, 1645**

Instrvctio Pro Confessariis. Reverendis Pastoribvs & Confessarijs pacem &  
dilectionem in Domino, apprecatur Franciscus De Sales, Episcopus  
Geneuensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42220**



Postremò secundum vniuscuiusque modum & conditionem, omnibus & singulis ea præscribant adiumenta, quæ maximè necessaria, vtiliaque esse iudicabunt, vt in via mandatorum Dei sui ambulent ac proficiant.

---

## INSTRVCTIO PRO CONFESSARIIS.

REVERENDIS PASTORIBVS  
& Confessarijs pacem & dilectionem in Domino, apprecatur FRANCISCVS DE SALES,  
Episcopus Geneuensis.

**D**ilectissimi in Christo Fratres, officium, quod exercetis, cum primis excellens est, quod à Deo ad animas iudicandas constituti sitis, idq; eo maiore cum auctoritate, quod, quas rectè profertis in terra, sententia rata in cælo habeantur. Ora vestra canales & tubi sunt, per quos è cælo in terram super homines bona voluntatis pax defluit: voces vestra magni LESV sunt tuba, à quibus iniquitatis, qua mystica Iericho est, muri ad terram concidunt & deiciuntur. Magna certè & incomparabilis hominum excellentia est, quod ad hanc dignitatem euehantur, ad quam ne Angeli quidem vocantur & assumuntur. Cui enim Ordini & Choro Angelorum dictum est aliquando: Accipite Spiritum sanctum, quorum remisertis peccata remittentur eis? Hoc tamen dictum est Apostolis, & in ipsorum persona omnibus, qui per legitimam successionem eandem auctoritatem & potestatem accipient. Cum ergo ad admirabile &

exi-



eximium hoc officium assumpti sitis, noctes & dies eidem intendere, & ipsum curare debetis, & ego non modicam muneris mei partem ei curando applicare. Vnde cum abhinc aliquot mensibus non paucas observationes & considerationes, quas vobis, ad hoc exercitium bene & prout oportet obeundum perutiles, & commodas fore arbitrari, collegissem: visum mihi fuit ex ijs nonnullas vobis hinc obiter proponere. quod non modicum hinc vos spem fructum collecturos.

## C A P V T I.

## De Confessarij dispositione.

**S**ingularem conscientiae puritatem & munditiam habete, quod aliorum emundare & purgare conscientias studeatis; ne vetus illud Prouerbiū vos comprehendat, & in vos quadrat: *Medice cura te ipsum.* & illud Apostoli: *In quo alios dijudicas, te ipsum condemnas.* Ergo vocati ad aliorum confessiones excipiendas, si in peccati mortalis statu agatis (quod Deus auertat) prius ipsi vestrum confiteri peccatum debetis, & ab eo absolui, aut si fortè præ Confessarij defectu, commodè id facere non possitis; sanctam saltem in animo vestro contritionem excitare debetis.

Ardeas animarum iuuandarum desiderium & zelum habetote, & illarum præsertim, quæ respiscere volunt, & pœnitentiam vitæ prioris agere, Deumque rogate, vt illarum conuersioni & profectui spirituali cooperari dignetur & promouere.

Memineritis, ipsos pœnitentes, cum primum



confiteri incipiunt, vos Patres nominare, ac proinde paternum erga eos animum & affectum vos habere debere, summo cum amore eos excipiendo, eorum stupiditatem, ignorantiam, imbecillitatem, tergiuersionem, & alias imperfectiones patienter & æquo animo supporando, & nunquam ab ipsis iuandis instruendisque præ defatigatione cessando, quamdiu aliqua emendationis spes in illis apparet; iuxta illud S. Bernardi dicentis: Onus Pastorum non circa animas fortes & valentes, sed debiles versari: fortes enim satis per se sine ullius subsidio incedunt, at imbecilliores oues ferendæ sunt. Sic, tamen si filius prodigus nudus plane, sordidus & foetidus iam inde ab hæræ porcorum rediret, benignus tamen pater eum complectitur, amanter exosculatur, & super collum eius ruens lacrymatur, quod illius esset pater, & cor paternum erga filios teneriori soleat affectu commoueri.

Habetote præterea prudentiam medicorum (nam & peccata morbi sunt & plagæ spirituales) & pœnitentis vestri dispositionem & statum accuratè dispicite, vt pro illius necessitate & qualitate remedium ei adhibeatis. Si ergo, verbi gratia, pudore & verecundia eum laborare perspiciatis, animum illi & fiduciam addite, dicendo & ostendendo, non magis, quam illum, vos Angelum esse: minimè videri vobis mirum homines peccare: confessionem & pœnitentiam infinito maiorem homini honorem adferre, quam peccatum attulerat confusionem: Deum primò, ac dein Confessarios, non æstimare

mare



mare homines iuxta id quod olim fuere, sed iuxta id quod sunt modò: peccata deniq; in confessione declarata apud Deum & Confessarium, velut sepultra esse, adeò vt nulla ipsorum memoria supersit.

Si pœnitentem impudentē & omnis apprehensionis expertem videatis, declarate & ostendite, ipsum coram Deo ipso hic sese prosternere & versari; hac in actione & opere de æterna illius salute controuerti; de nulla re in mortis hora tam exactam eum rationem redditurum quàm de confessionibus malè institutis: denique in absolutione, mortis ac passionis Dominicæ pretium ac meritum pœnitentibus applicari & impendi.

Si illum timidum, deiectum, & de peccatorū suorum venia aliquo modo desperantem videatis, iacentem erigite, & corroborate, dicendo, quam Deo sit gratum & volupe, magnos peccatores pœnitentiam agentes videre: deinde, quo nostra miseria & iniquitas maior est, eo id in maiore diuinæ misericordiæ gloriam tendere: Dominum IES VM in crucem actum, Deum Patrem pro sui crucifixoribus orasse, vt hac ratione nos edoceret, tametsi illum proprijs manibus cruci affixissemus, ipsum hanc nobis noxam nihilominus libentissime condonaturum. Deum tantipœnitentiam facere, vt etiam minima, dummodo vera sit, omnia peccatorum genera illum faciat obliuisci, adeò vt, si damnati & cacodæmones illam habere possent, vniuersa illorum peccata condonarentur: illustrissimos item, sanctos, insignes & notabiles fuisse peccatores,



puto S. Petrum, Matthæum, Magdalenam, Dauidem, & alios innumeros. Postremò maiorem diuinæ bonitati, & Domini nostri IESU Christi morti & passioni, iniuriam fieri non posse, quam si quis de venia peccatorum suorum consequenda desperet, ad hæc iuxta quemdam fidei articulum teneri nos credere, esse in Ecclesia remissionem peccatorum, vt certi simus, ac minimè dubitemus, illam tunc nos consecuturos, cum ad Sacramentum illud confugimus, quod hac de causa in Ecclesia sua Dominus instituit.

Si denique peccatorem perplexum & anxium esse deprehendatis, quod aut peccata sua plenè planeque declarare nequeat, aut conscientiam suam bene examinare non potuerit, opem vestram illi offerte, eumque certum reddite, vos, mediante Dei gratia, effecturos, vt nihilominus bonam sanctamque Confessionem instituat. Ante omnia vero, erga quoslibet peccatores, benignos, beneuolos & discretos exhibete, & in primis erga mulieres, vt in peccatis infamibus aperiendis & confitendis ipsis auxilio sitis. Nam

Primò, si seipsi sponte accusent & culpent, quascumque demum inhonestates proferant, nullo modo eas vobis molestas accidere, aut miras vobis insolentesve videri ostendite, quoadusque confessio absoluta sit: nam tum demum placidè amicabiliterque eos edocete, qua honestiori phrasi & verbis, id genus materias posthac possint exprimere.

Secundò, si in his peccatis inhonestis exponendis suam accusationem varijs excusationibus, prætextibus & exemplis colorent & impli-

cent,



cent, patienter illos ferte, non turbate vsq; dum omnia exposuerint, tum demum eos quoad hoc peccatum interrogare incipite, quò posthac perfectius & distinctius peccata sua declarent, benignè eis ostendendo & aperiendo, quasnam sese excusando commiserint superfluitates, imperipientias & imperfectiones, dum accusationem suam palliabant & colorabant: ita tamen, ut nullatenus eos reprehendatis aut obiurgetis.

Tertio, si quam eos difficultatem sentire videatis in peccatis illis inhonestis per se aperiendis, vos illos circa leuiora interrogare incipite, vti sunt, an voluptatem aliquam è rerum inhonestarum auditu perceperint, inhonestas cogitationes habuerint: itaque paulatim ex vno ad aliud gradu facto, ex auditu inquam ad cogitationes, à cogitationibus ad desideria, voluntates, opera ipsa, prout quidem ipsi sese patefacient, descendendo, animabis & adhortaberis eos ad semper ulterius procedendum, his aut alijs id genus verbis eos subinde compellando: quàm tu felix es, quod benè riteque confitearis! credas velim, Deum magnam tibi gratiam facere; vides Spiritum sanctum mentem tibi propius rangere, vt bonam confessionem instituere te faciat; animosè fili, intrepidè & liberè peccata tua aperi, noli propterea tristis esse aut distorqueri; non multò post ingens gaudium senties, quod sic ritè confessus sis, nec ob vllam omninò rem voles, quin conscientiam tuam liquidè & sincerè aperuisses, in mortis hora magnæ tibi consolationi erit, quod humilem hanc confessionem feceris. Benedicat Dominus cor  
Gg 6 tuum,



tuum, quod ad sese accusandum tam bene dispositum est. itaque paulatim & suaviter animas eorum compelletis ad perfecte peccata sua de-  
regenda.

Quartò, si quando in eos pœnitentes incidetis, qui ob enormia, quæ admiserunt peccata, ut sunt, incantationes, veneficia, concubitus cum diabolo, bestialitates, homicidia sanguinaria, & aliæ huiusmodi abominationes, mirum in modum suis in conscientijs percelluntur, agitantur, & consternantur; omnimodo eos releuare & consolari debetis, magnam Dei misericordiam apud eos deprædicando, utpote quæ ad ipsos ignoscendum infinities maior est, quam vniuersa mundi peccata ad illos damnandos, opemque vestram & auxilium illis addicite, quacun-  
que in re & quoties illa opus habebunt ad animæ suæ salutem operandam.

## C A P V T II.

### *De dispositione exteriori.*

**S**I quod sit Sacramentum, in cuius administratione proferenda sit ab administrante grauitas & maiestas, certè ipsum Pœnitentiæ summam exigit, cum in eo à parte Dei Iudices deputati & constituti simus. Hoc ergo administrabitur induti & togam & superpellicem, stolam habentes in collo, & pileum in capite, in apparenti & conspicuo Ecclesiæ loco confidentes, facie amabili simul & graui, quam per nullos nouos gestus aut signa exteriora, quæ aliquam auersionem, indignationem aut de-  
mon-



monstrationem animi indicent, vnquam debetis inuitare, ne quam ijs qui eos videbunt, occasionem detis suspicandi, pœnitentem aliquid displicens aut execrabile vobis referre.

Dabitis operam, vt pœnitens faciem suam ita conuertat, vt vestram ad latus habeat; ita vt nec vos videat, nec vobis rectâ in aurem, sed ad latus illius, loquatur.

### C A P V T III.

*De Interrogationibus, qua pœnitenti proponenda ante, quàm sese accuset.*

**P**OEnitens ergo vbi accesserit, ante omnia rogandus est, cuius sit status & conditionis, videlicet an coniugatus sit, necne, Ecclesiasticus, an non, Religiosus aut sæcularis, advocatus an causidicus, opifex mechanicus an operarius mercenarius; nam pro diuersitate status diuersimodè cum eo procedendum erit.

Sciendum præterea, num intentionem habeat hanc benè se & ritè de omnibus peccatis suis accusandi, nihil eorum vt studio & volenter celet; item, peccatum penitus deserendi ex animo & detestandi, denique faciendi quod sibi salutis suæ procurandæ causa iniungetur. Quod si illam intentionem & voluntatem non habeat, in hoc manendum est, & eam vt habeat, si quomodo fieri potest, allaborandum; si verò eam habere nolit, dimittendus est, prius illi declarato, quam periculoso & misero in statu agat.



## C A P V T IV.

*Quarum se rerum pœnitens accusare  
debeat.*

**I**Ntolerabilis certè abusus est, peccatores nullum omnino peccatum in confessione per se declarare, nisi in quantum à Confessarijs interrogantur. Docendi ergo sunt, vt se ipsi primò accusent in ijs in quibus poterunt, ac deinde per interrogaciones & sciscitationes adiuuandi vltèrius erunt.

Non satis est, pœnitentem peccati sui genus tantum aperire, dicendo, verbi gratia, quod homicidium, luxuriæ peccatum aut furtum commiserit; sed necesse præterea, vt illius speciem explicet, exempli causa; an patrem, aut matrem interfecerit, & hoc dicitur parricidium, an in templo aliquem necarit, hoc namque sacrilegium est, an Ecclesiasticum aliquem de medio sustulerit, hoc namque parricidium spirituale est, & quisquis hoc commisit, ipso facto est excommunicatus. Idem & in peccato fornicationis locum habet: si enim virginem quis deflorarit, stuprum est; si coniugatam aliquam cognouerit, adulterium est; & ita de reliquis peccatis.

Nec solum ipsa peccati species inquirenda, verum etiam quoties peccatum ipsum commissum sit, vt nimirum pœnitens se accuset, dicendo quoties tale aut tale peccatum admiserit, aut quoties plus minus, quàm poterit proximè, prout illius recordabitur, aut saltem dicendo, quamdiu in peccatis suis hæserit & perseuerauerit,



uerit, & quàm valdè ei deditus & addictus sit. Etenim multum interest inter eum qui non nisi semel blasphemare solet. Examinandus præterea pœnitens est circa varios peccati alicuius gradus: exempli gratia, magna certè differentia est inter irasci & calumnias proferre, pugnos infringere, baculo ferire, aut gladio, quæ varij peccati iracundiæ sunt gradus. Magnum quoque discrimen est inter carnalem intuitum & inhonestum contactum, & copulam carnalem, quamquam necesse non sit, eum qui aliquod opus malum absolutum confessus est, confiteri & alia, quæ ad prius illud faciendum necessaria requiruntur, & præuia sunt. vnde qui sese accusauit, quod puellam semel violauit, non tenetur aperire facta & actus, quos interea dum alterum illud opus fieret, aut disponeretur, intermiscuit: satis ea quippe intelliguntur & præsupponuntur, etiamsi non exprimantur, & illarum rerum accusatio in actionis finalis & vltimata peccati confessione continetur.

Idem dico de peccatis, quorum malitia in vna & eadem actione duplicari & multiplicari potest, v. g. qui aureum furatur, peccatum vnum facit, qui duos, etiam non nisi vnum facit, & quidem eiusdem speciei: tamen secundi huius peccati malitia duplex est, respectu prioris. Pari modo fieri potest, vt prauo quod datur exemplo vnus duntaxat scandalizetur, & alio malo exemplo eiusdè speciei triginta aut quadraginta scandalizentur, cum tamen nulla sit inter vtrumque peccatum proportio. Quapropter, quàm fieri proximè potest, facti quantitas  
parti-



particulariter est exprimenda, item quàm multi vna sola actione scandalizati sint, & ita consequenter de alijs peccatis, quorum malitia crescit aut minuitur pro obiecti aut materiae quantitate.

Quin etiam profundius penetrandum, & peccitens examinandus circa desideria & voluntates purè interiores, qualia, v. g. forent desiderium & voluntas vindictæ alicuius libidinis, & similium operum committendorum, etenim mali hi affectus peccatum sunt.

Etiam longius progrediendum, & excutiendæ inquirendæque ipsæ malæ cogitationes, esto nulla desideria nec voluntas peccandi post eas secuta sint. Exempli causa, qui intra semetipsum de aduersarij & inimici sui morte, ruina & infortunio cogitare gaudet, & inde voluptatem aliquam haurit, esto huiusmodi ei de facto contingere nolit, si tamen voluntariè & datâ operâ aliquam ex huiusmodi imaginationibus & cogitationibus delectationem & voluptatem capit contra charitatem delinquit, & illius se rei debet accusare. Idem iudicium est de eo qui voluntariè, utque aliquo modo sese recreet, in cogitationibus & imaginationibus circa voluptates carnales diutius sese detinet, ijsque oblectatur: internè namque contra castitatem peccat, cuius peccati se reum fateri debet, & ipsum confiteri nam esto corpus peccato applicare noluerit, cor tamen & animam ei applicuit; porrò peccatum magis in cordis applicatione, quàm corporis consistit, ac nullo modo licitum est studio sese in peccato oblectare,



etate, tam per actiones corporis, quam cordis. Dixi studio & datâ operâ, eò quod malæ cogitationes, quæ nobis inuitis, illubentibus, & non totaliter aduertentibus & reflectentibus adueniunt, nequaquam sunt peccatum, aut saltem non sunt mortale.

Denique requiritur quoque, vt pœnitens alienorum se peccatorum accuset, idq; ad exemplum Davidis: si enim malo suo exemplo, aut aliter, quem piam ad peccandû pellexerit, culpa reus est, & hoc ipsum propriè appellatur scandalum, at tamen econtrâ pœnitens inhibendus & impediendus est, ne suos in peccato complices, socios & cooperatores nominet aut detegat, quantum quidem fieri potest.

## C A P V T V.

*Confessarius sollicitè aduertat, ne quem absoluat qui gratia Dei sit incapax.*

**V**ideat deinde Confessarius, num pœnitens absolutionis accipiendæ sit capax; nam hæc certis quibusdam hominibus impertienda non est, quorum hic aliquot vobis genera recensebo, è quibus reliqua, quæ eiusdem notæ sunt, facili negotio colligetis. Tales sunt:

Primò, qui excommunicatione maiore & reseruata innodati sunt: quos sine auctoritate superioris Confessario illicitum est absoluere; nisi fortè illa huic reseruata non esset.

Secundò, qui aliquod habent peccatum Pontifici aut Episcopo reseruatum, sine illorum nequeunt auctoritate absolui: remittendi ergo sunt ad eos, qui absoluendi potestatem habent,

aut



aut exspectare iubendi, quoadusque (si facile fieri id potest) ea sit impetrata.

Tertio, falsarij, falsi testes, fures, vsurarij, bonorum, titulorum, iurium, & honorum alienorum vsurpatores ac detentores; detentores item legatorum piorum, eleemosynarum, primitiarum, decimarum, litium falsarum patroni aut intentatores, iniqui calumniatores, detractores, & in genere, quotquot in proximum noxij & iniurij sunt, absolui nequeunt, nisi quam fieri potest optimè, iniuriam & noxiam reparent, aut saltè re ipsa se reparaturos promittant.

Quarto, coniugari, qui ob dissensionem aliquam à se inuicem disuncti viuunt, aut coniugij debitum reddere detrectant absolui nequeunt, quamdiu in maligna adhuc voluntate & intentione perseuerant.

Quinto, Ecclesiastici qui malis artibus aut vijs sua beneficia adepti sunt, aut qui plura incompatibilia sacerdotia sine dispensatione legitima possident, aut qui sine sufficienti & legitima causa in Ecclesia sua non resident, aut quibus solemne est Horas Canonicas non recitare, nec Sacerdotum ritu vestiri, absolui prorsus non debent, nisi remedium se adhibituros, & omnes hos defectus emendaturos promittant.

Sexto, concubinarij, adulteri, ebriosi absolui non debent, nisi summum concipiant & faciant propositum, non solum peccata sua relinquendi, verum etiam occasiones eorundem: concubinarij quidem ac adulteri suas focarias & pellices, quas à se remouere & ablegare debent; ebriosi verò cauponas; blasphemum lusum; quod intel-



intellige de ijs qui quandam horum peccatorum admittendorum vsum ac consuetudinem iam assumpserunt: itaque sæpiùs in illa recidunt.

Septimò denique, dissidentes ab inuicem inimici, qui aliquo odio, rauore, inimicitia æmulum prosequuntur, absolutionis non sunt capaces, nisi ex sua parte velint ignoscere, & cum inimicis suis in gratiam redire.

## C A P V T VI.

*Quomodo restitutio & reparatio honorum & honoris alieni pœnitentibus persoluenda sit.*

**V**bi ergo Confessarius conscientia pœnitentis sui statum probè perspectum habuerit, id constituere ac disponere ipse à parte sua debet, quod ad illum gratia diuinæ capacem reddendum requiri, ac necessarium esse videt, tam circa ea quæ ad honorum alienorum restitutionem, & grauaminum, damnorum & iniuriarum, quæ commisit, reparationem spectant, quam ea quæ ad vitæ eius emendationem & peccandi occasionum fugam ablegationemque requiruntur.

Quod autem ad reparationes & restitutiones proximo faciendas spectat, inquirenda ratio est (siquidem fieri potest) vt illæ ita clanculò & secretò fiant, vt pœnitens nullam inde infamiam contrahat. Vnde, si res sit furto sublata, ipsa est aut propria restituenda, aut aliud ei æquiualens, idque per aliquem discretum virum, qui restituentem nec nominet, nec aliquo modo indicet, si falsi sit criminis accusatio aut simulatio, magna dexteritate procurandum est, vt



est, vt pœnitens, quasi aliud agens, & commoda quæ sita opportunitate, eos apud quos de proximo malè locutus fuerat, ad aliter de eo sentiendum inducat, dicens contrarium eius quod ante dixerat, nulla superioris sermonis mentione facta, vel eum simulando.

Sed quod ad vsuras, iniquas lites, & alia id genus intricatiora conscientiaæ grauamina pertinet, singulari & magna quadam opus est prudentia, ad illorum restitutionem procurandam aut pœnitenti suadendam. Vndè si hanc Confessarius prudentiam non habeat, magna cum suauitate pœnitentem roget, vt aliquod sibi tempus ad maturius & per otium de ea re cogitandum concedat, atque interim ipse alios doctiores consulat, vti sunt territorij cuiusque Commissarij, qui, si quidem res requirat & promereatur, nos aut Vicarium nostrum Generalem super ea re consulent. Verum super omnia conandum, ne qui consuluntur, aliquo modo aut ex indagine, aut certis signis & verbis cognoscant vel conijciant quis ille sit de quo agitur, nisi ipse expressam Confessario ad hoc facultatem aut copiam prius fecerit, imò, ne tum quidem, videlicet illo consentiente, id faciendum est, nisi summa necessitate exigente, & pœnitente extra & post confessionem id Confessario requirente.

CAPVT



## CAPVT VII.

*De Casibus reſeruatis, deq; Confessione eorum  
qui in euidenti mortis periculo & arti-  
culo verſantur.*

**P**orro casus Pontifici summo reſeruati satis multi sunt; at horum plerique sunt huiusmodi, vt trans montes, & Alpes nisi quam rarissimè, aut ferè nunquam, adueniant; qui autem hic contingere & habere locum possunt, non adeò multi sunt. Sunt enim tantum quinque, præter eos qui in Bulla cœnæ Domini continentur.

Primus est, Ecclesiasticum & Clericum è malitia ac voluntariè occidere, aut grauius etiam percutere. Dixi, *grauius*: nam cum læsio aut percussio leuis est, & iniuria non tanti momenti, ab Episcopo percutiens poterit absolui, nisi percussio, tametsi in se leuis, valdè scandalosa fuerit, quando v. g. percussus est Sacerdos celebrans, aut in loco & conuentu hominum honorabili, frequenti, & admodum conspicuo.

Secundus est, simonia & condescensio realis.

Tertius peccatum duelli, quo tenentur tam ad ipsum prouocantes, inuitantes, quam ipsi duellantes & certantes.

Quartus, clauſtri monasteriorum Religiosarum reclusarum effractio & violatio, quando mala intentione & sine hæc violatio fit.

Quintus, violatio immunitatum Ecclesiæ, qui casus quintus cum ad discernendum & distinguendum difficilis sit, & non sæpius contingat, & non nisi per actiones publicas, vix in confessione pri-



ne priuata deciditur, quin prius extra illam ab Episcopis eorumve Vicarijs fit decifus.

Cafus Bullæ Cœnæ Domini, qui trans Alpes habere locum poſſunt, ſunt etiam pauciſſimi.

Primus eſt hæreſis, ſchiſma, librorum hæreticorum lectio, Bullarum & litterarum Apoſtolicarum falſatio.

Secundus, libertatum, immunitatum & priuilegiorum Eccleſiæ, bonorum & hominum Eccleſiaſticorum, & Clericorum, quæ voluntariè fit, violatio; bonorum Eccleſiaſticorum, in quantum talia ſunt, iniqua uſurpatio.

Cafus, quos nobis priuatim reſeruauimus, ſunt item numero pauci.

Primò, quod ad primum Decalogi præceptum ſpectat, reſeruauimus nobis magiam, ueneficia, incantationes, ligularum (vt uocant) conſtrictiones, quæ ad matrimonij effectum impediendum fieri ſolent.

Secundò, quod ad quartum, reſeruauimus nobis parricidium, quod fit, dum aut pater, aut mater, aut ſocer, aut ſocrus occiditur aut percutitur.

Tertiò, quod ad quintum, reſeruauimus nobis homicidium uoluntariè & deliberatè commiſſum.

Quartò, quod ad ſextum, reſeruauimus nobis beſtialitatem, Sodomiam, inceſtum in primo & ſecundo gradu, ſacrilegium quod cum Monialibus & Religioſis Virginibus rem habendo committitur, filiarum ac feminarum raptum & uiolationem.

Quintò, & quantum ad ſeptimum præceptum ſpectat



spectat, reseruauimus nobis voluntariam domuum alienarum incensionem, ac rerum sacrarum direptionem, expilationem ac furtum.

Porro in casibus reseruatis, duas vos regulas obseruare oportet.

Prima est, pœnitentes qui eosdem commiserint, consolari, nec illos ad desperationem adigere. Sed modeste ad eos quibus potestatem à reseruatis absoluendi dedimus, quales per omnes diœceseos partes & loca satis frequentes constituimus, remittere. nam tamen à Casibus Papæ Romano reseruatis absoluere hi nequeant, semper tamen modum & rationem ipsis suggerent, qua absolutionem ab iisdem consequi valeant.

Secunda est, in casu extremæ necessitatis, & articulo mortis, omnes & quilibet Sacerdotes, esto ad audiendas confessiones admissi non sint, cuiuscumque demum generis aut qualitatis sint, ab omnibus omninò peccatis, qualiacunque ea sint absoluere & possunt, & debent. Imò qui in sua ægritudine Confessarium euocari iussit, si dein paulò post lequendi facultate priuetur, nullum doloris aut cōtritionis dare signum potest; ob simplex hoc confitendi desiderium quod habuit, absoluendus est. Imò, quod amplius est, absolutione item donandus is est, qui tamen Sacerdotem euocari non iusserit, eum tamen aut videns, aut audiens, aliquod quo se absolutionem obtinere velle ostendat, indicium signumve dat.

CAPVT



## CAPVT VIII.

*Quomodo pœnitentia Confitentibus sint imponenda, & qualia pœnitentibus consilia danda sint.*

**C**onfessarius lenibus, placidis & consolatorijs verbis pœnitenti pœnitentiam imponat oportet, & tum maximè, cum eum contritum & de commissis extremè dolentem conspicit; semper quoque eum interroget, num eam libenter sit executurus. Etenim si illum ab ea auersiore, & idcirco nonnihil turbatum videat, satius longè foret aliam faciliorem ei imponere: cum plerumque multò sit melius ac consultius pœnitentes placidè ac leniter (ita tamen vt peccatis ipsorum Confessarius non aduletur) quàm durè & asperè habere. Nihilominus pœnitenti Confessarius indicare non omitat, ipsum pro peccatorum & scelerum suorum grauitate, longè grauiorem quidem pœnitentiam promereri, sed eam mitigatam, vt, quæ illi iniungitur, eo maiore cum humilitate & deuotione exequatur.

Pœnitentiæ non sint intricatæ, id est, è varijs precum & orationum generibus compositæ & conflatæ, v.g. non iniungentur tria *Pater noster*, Hymnus vnus, variæ Orationes & Collectæ, Antiphona, & Psalmi: nec per varias debent actiones & opera diffundi, verbi gratia, non iniungantur tres dies quibus eleemosyna erogetur, vt tribus ferijs sextis ieiunetur, sacrum vnus celebrari iubeatur, quinquies flagellis in corpus animaduertatur. Duo namque ex hac

ope-



operum & orationum diuersitate sequuntur incommoda; primum, quod pœnitens eorundem obliuiscatur, vnde ei postea scrupuli subnascuntur. alterum, quod magis attendat aut cogitet, ad quidnam dicere aut facere debeat, quam ad id quod dicit aut facit: & interim, dum in memoria recogitat & inuestigat quidnam sibi faciendum sit, aut in Officio suo quaerit, quidnam recitandum, deuotio omnis refrigescit. Satius ergò & melius est, iniungere orationes, quæ omnes eiusdem generis sunt, verbi gratia, omnes sint *Pater noster*, aut omnes Psalmi, & quidem se mutuo consequentes, quos hinc inde sparsos conquirere, vnum post alium non oportet.

Adhæc non inutile erit, pœnitenti aliqua ex his quæ sequuntur in pœnitentiam præscribere; verbi causa, vt hunc vel illum librum legat, quæ ad pœnitentem iuuandum Confessarius maximè expedire iudicauerit; vt anno vno durante singulis mensibus confessionem instituat, vt in aliqua Sodalitatem se faciat inscribi: & huiusmodi opera non modò ad præteritorum peccatorum punitionem ac castigationem faciunt, verum etiam præseruant, ne post hac in similia aliave incidat.

Hæc autem sunt consilia quæ Confessarius in genere præscribere & iniungere debet: inter quæ hæc existimo præ alijs vtiliora magisque proficua, vt videlicet sapissime Confessionis & sacratissimæ Eucharistiæ Sacramenta vsurpet, bonum probatumque sibi Confessarium ordi-

Hh

na.



narium deligat; concionibus & verbi diuini prædicationis frequens interfit, libros pios & spirituales habeat ac legat (atque inter ceteros eos quos Ludouicus Granatensis composuit) malorum improborumque fugiat consortia, bonorum vero consecretur, Deum sæpe per orationem alloquatur, vesperi cum cubitum concedit, examen conscientia faciat, sæpe quoque de morte, extremo iudicio, cælesti gloria, & inferni supplicijs cogitet, sanctas imagines (vti Domini in crucem fixi, & alias) & habeat, & sæpissime exosculetur.

### C A P V T IX.

#### *Quomodo danda sit Absolutio.*

**H**Oc in facto, antequam pœnitenti sanctam absolutionem conferatis, eum rogabitur, num humiliter postulet peccata sibi sua remitti, & quum gratiam hanc à merito mortis & passionis Domini nostri IESU Christi exspectet, num etiam voluntatem habeat & proposuerit posthac in timore & ex obedientia Dei sui viuere. Deinde ei significare poteritis, absolutionis suæ sententiam, quam hic in terra super eum pronuntiabitur, in cælo approbandam & pro rata habendam. Angelos & vniuersos cæli ciues eructaturos & iubilaturos, dum eum in gratiam Dei restitutum videbunt: proinde aliter posthac vitam instituere procuret, vt in mortis suæ hora confessionis huius fructum recolligere valeat, cumque conscientiam suam



suam iam in sanguine Agni immaculati IESU Christi lauerit, operam det, ne eam posthac amplius vlllo flagitio commaculet.

His aut alijs eius generis verbis consolatorijs prolatis, pileo sublato caput aperietis, ad preces quæ Absolutioni præmittuntur, recitandas. Quamquam (vt doctè prudenterque aduertit Doctor Emmanuel Sà) in confessionibus eorum qui confessionem sæpius instituunt, omnes quæ absolutionem præcurrunt aut subsequuntur, orationes deprecationesque licitè possint omitti, & simpliciter sufficiat dicendo: *Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Idem quoque obseruandum erit, quando multi sunt audiendi. Tunc quippe prudenter absolutio abbreviabitur, dicendo solum: *Dominus noster IESVS Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius, absoluo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Pari modo cum magna pœnitentium qui sæpius confessiones faciunt, adest multitudo, moneri possunt, vt, suum *Confiteor* separatim & sibi dicant, antequam se Confessario sistant, vt immediatè cum ad Confessarium venerint, & signum crucis efformarint, statim à sui accusatione incipiant. Hac quippe ratione nihil omittitur essenziale, & magnum sit temporis compendium.

R. P. Valerius Reginaldus Societ. IESU, SS. Theol. in Dolano Collegio Professor, iam recenter euulgauit librum *de Prudentia Confes-*



*fariorum*, qui non contemnendam legentibus  
utilitatem pariet.

Hos viginti quinque articulos dignos cen-  
sui, Fratres, quos, quia alijs pluribus occupa-  
tionibus impeditus fui, melius componere at-  
que explicare non potui, vti nec reliqua quæ  
huc faciunt, scripto committere. Interim a-  
nimam meam diuinæ misericordiæ commen-  
tate, quemadmodum ipse à parte mea sanctam  
illius vobis benedictionem ex corde exopto.

Fel. rec. Urbani 8. Constitutio 29.  
Bullarij tom. 4.

VRBANVS PAPA VIII.

AD FVTVRAM REI  
MEMORIAM.

**C**VM, sicut accepimus, aliquibus Reli-  
giosis quorundam Ordinum, seu Congre-  
gationum à Sede Apostolica indultum  
fuerit, vt sacramentales personarum secularium  
Confessiones audire valeant, etiamsi ab Episco-  
pis Diocesanis ad id examinati, & approbati  
non fuerint; nec desint, qui temerè asseuerent,  
hoc ipsum Priuilegium ceteris quoque aliorum  
Ordinum Regularibus competere, ex amplis-  
simis Priuilegiorum communicationibus, quas  
ab eadem Sede Apostolica obtinuerunt, & hinc  
saluberrimum Sacri Concilij Tridentini De-  
cre-